

Majestatis Sacratissimae Provinciarum tranquillitati prospici haud possibile esset; ideo ex annuentia quoque suae Majestatis Sacratissimae conclusum est:

§. 1. Ut praetactus miles exauthoratus, stante praesenti Diaeta, ad mandata suae Majestatis Sacratissimae non solum redintegretur et restauretur; verum etiam augeatur:

§. 2. Et tam ipsi Domino Comiti Bano, quam praetacto militi, de stipendio infallibili, annuo, provideatur:

§. 3. Praesidia vero Colapiana, tormentis Bellicis, mortariis, falconibus, seu Barbatis, globis et pulvere pyrio muniantur et ad reprimendos impetus hostiles armentur et fortificentur. \*)

*Articulus 89. An. 1659. de Restitutione Valachorum, Sclavorum et Praedauciorum in Confiniis commorantium, cum aliis superinde sancitis renovatur; et effectuantus declaratur.*

#### Articulus 63.

Licet tot Articulis, Diplomatusque Regiis in diversis Diaetis sancitum sit, ut Valachi, Sclavi et Praedaucii sub potestate Capitaneorum in Confiniis Croaticis et Sclavonicis commorantes, Regno incorporarentur; et Sacrae Coronae reapplacarentur; officiaque militaria alternatim Nationalibus conferentur; hucusque tamen praemissae Leges et Diplomata optato effectui mancipata non essent, quod non absque gravi damno et praejudicio eorundem Statuum et Ordinum Regni ineffectuatum esse manifeste comperiretur.

§. 1. Ideo ex benigna annuentia suae Majestatis, universorum Statuum et Ordinum voto et suffragio ulterius quoque sancitum est; ut Articulus 89. An. 1659. aliique in eo citati et extracti, etiam nunc renovati, debitae executioni et effectui, modalitate in iisdem expressata quamprimum demandentur et terminentur.

*Privilegia Valachorum, in Praejudicium Regni emanata; iterato cassantur.*

#### Articulus 64.

Statuta et Privilegia Valachorum, in praejudicium Regni et Sacrae Coronae, prouti antea per Articulos 90. Anni 1659. et Art. 40. An. 1635. cassata extitissent; ita et nunc, tum per prius, forte etiam ex post extradata; cassantur et mortificata esse pronunciantur. \*\*)

\*) Confirmatur; An. 1687. a. 22. §. fin. An. 1715. a. 114. Huc refer; An. 1723. a. 87. An. 1729. a. 20. An. 1741. a. 47.

\*\*) Allegatur; An. 1715. a. 113.